





26. 28  
DISSERTATIO ACADEMICA  
DE  
INDOLE ET NATVRA  
THEOLOGIÆ NATVRALIS

QVAM  
DIVINA AVSPICANTE GRATIA  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DOMINO  
**GVILIELMO HEINRICO**  
DVCE SAXONIAE, IVLIACI, CLIVIAE, MONTIVM,  
ANGARIAE, WESTPHALIAE, ET  
RELIQVA,

*INDVLTV AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM*  
ORDINIS,  
PRÆSIDE  
**M. CHRISTIANO STOCKIO,**  
AMPLISSIMI FAC. PHIL. ADJVNCTO.

D. MART. A. O. R. 1711.  
*PVBLICE ERVDITORVM DISQVISITIONI*  
*SVB FJICIT*

AVTOR ET RESPONDENS

**JOHAN. JVSTVS STEPHANI,**  
MARBURG. HASS. SS. TH. CVLT.

IENÆ, LITTERIS EHRICHIANIS.

PER-ILLVSTRI DOMINO,  
DOMINO  
VVOLFGANG. CHRISTOPHORO  
S. R. I.  
LIBERO BARONI DE SCHENCK,  
DYNASTÆ SCHWEINSBERGÆ,  
SERENISSIMI PRINCIPIS ET LANDGRAVII  
HASSO-CASSELLANI  
SVMMI MILITIÆ DVCIS LOCVM TENENTI  
NEC NON  
MVNIMENTORVM MARBURGENSIVM PRÆ-  
FECTO FORTISSIMO,  
*DOMINO MEO GRATIOSO*  
*EXERCITATIONEM HANC ACADEMICAM*

EX  
*HVMILLIMA OBSERVANTIA*  
*D. D. D.*  
DISSERTATIONIS AVCTOR  
JOHANNES JVSTVS STEPHANI,  
SS. THEOL. CVLTOR. & PHIL. CAND.



Thef. I.



Heologiæ Naturalis indolem  
& naturam investigaturi, voces  
prius excutere juvat, quam eam  
ante oculos ponamus; cum ex  
vocum contemplatione reliquis,  
que sub considerationem vo-  
cantur, sœpe ingens lux accedere  
soleat.

Th. II.

Theologiae autem vox abstractiva est, quæ, si de-  
rivationem Grammaticam spectes, à voce Θεολόγια  
suam trahit originem, cum derivatio Grammatica eam  
respiciat vocem, quæ paucioribus sive syllabis, sive lite-  
ris constat. Quanquam certum sit, & extra dubitatio-  
nis aleam positum, quod Logicè Theologus à Theolo-  
gia stiam denominationem sortiatur; cum Theologus  
dicatur, cui Θεολογία inest. Hinc B. Joh. Gvilielm. Baj-  
erus, Theologus etiam post obitum famigeratissimus  
in Theologia Posit. Proleg. Cap. I. §. I. Nota b. pag. 2.  
scribit: Θεολογία nomen abstractum est, & si derivatio-  
nem Grammaticam spectes, descendit à concreto, Θεολόγια  
litterat attendendo ad denominationem Logicam, concretum

seu denominativum ab abstracto, tanquam forma denominante, habeat appellationem. Huic amicam manum præbet M. David. Hollazius in Examine Theologico Acroamatico Propæd. Theol. Cap. i. Quæst. 2. pag. i. quando scribit: *Theologia est nomen abstractum, à Concreto θεολόγῳ deducētum.*

## Th. III.

Theologia, de qua nobis hîc sermo est, dicitur *Naturalis*; à Princípio cognoscendi, quod est Lumen naturæ, prout latè accipitur, notans quodvis principium ac medium aliquid de Deo rebusque divinis cognoscendi, *sive sit complexum*, hoc est, integra propositio evidens, seu per se ac naturaliter nota, ex qua aliquid de Deo rebusque divinis cognoscere licet; *sive sit incomplexum* h. e. res nos in Dei rerumque divinârum cognitionem deducens, quam Aristotelici in intellectu agente consti-tuunt, qui intellectum possibilem per species impressas ad eliciendum cognitionis actum determinat; alii autem lucem intellectui ingenitam naturaque insitam esse at-tumant, quæ sit quædam vis agendi, qua mens nostra- res debite objectas è sola natura sine speciali revelatione à Deo facta cognoscit. Etiamsi sint, qui lumen naturæ strictius sumere malunt, prout saltem notat propositiones, quæ Dei existentiam, essentiam & attributa declarant, in quantum ex principiis naturæ & rationis per discursum, vel virtute intellectus agentis & phantasmatum ex terminis apprehensionis per se immediate & citra discursum, cognita sunt. Inficias tamen ire nequeunt, quod etiam dentur res imcomplexæ, quæ ad Dei cognitionem hominem perducere valent. Quando verò lumen naturæ diximus principium cognoscendi, intelligitur prin-cipium cognoscendi ultimum. Proximum enim prin-cipium

cipium Deum & res divinas cognoscendi constituant res  
 creatae lumine naturae cognitae, quæ deinceps intellectum in Dei velut suæ causæ cognitionem perducunt.  
 Qua de re scitè & accuratè scribit, ὁ πάντα Musæus in Introduct. in Theolog. de distinct. Theologiae in Natur. & Revel. Cap. I. §. 5. p. 6. 7. *Quæ autem de uno vero Deo vera traduntur, eorum duplex datur ratio cognoscendi. Vel enim cognoscuntur ex lumine naturæ, sive ut clarius dicam, ex rebus creatis lumine naturæ cognitis, vel cognoscuntur ex divina revelatione.* Priorem diximus lumen naturæ, vel potius, quod notanter addidimus, res creatas lumine naturæ cognitas. Nam lumen naturæ in se spectatum est quedam ratio cognoscendi valde generalis, & tam latè patet, quam latè nostra quarumvis rerum cognitionis naturalis patet. Omnis enim nostra naturalis cognitionis ultimo resolvitur in naturæ lumen. Præterea sub lumen naturæ, proximè & immediatè quidem cadunt tantum res materiales & sensibiles, ut postea dicetur. Deus autem, cum materia & accidentium sensibilium expers sit, sub illud non cadit, nisi mediantibus rebus creatis, & in quantum ex illis, jam lumine naturæ cognitis, per discursum cognosci potest. Ut ergo istam in lumine naturæ positam rationem cognoscendi generalem restringeremus, & simul modum, quo Deus & que ei insunt, sub eam cadant, indicaremus, hac addidimus verba; vel potius res creatas lumine naturæ cognitas. Proxima igitur & propria ratio cognoscendi Deum & divina sunt res creatæ, lumine naturæ cognitæ, que in quantum cognitione, intellectum ulterius in Dei tanquam sue causæ cognitionem deducunt: ultima autem & cognitioni naturali omni communis ratio cognoscendi est ipsum lumen naturæ &c. Iis, quæ hæc dicta fuerint, robur addit illud Apost. Rom. I. v. 19. 20.

Διότι γνωσὸν τῇ Θεῷ, φανερόν ἐστιν ἐν αὐτοῖς.  
 Οὐ γὰρ Θεὸς αὐτοῖς ἐφηγέρθε. Τά γὰρ ἀδ-  
 εστα αὐτῷ διὰ πτίσεως κόσμος τοῖς ποιημα-  
 νούμενα καθορέσται, ἵνε δίδι. αὐτῷ δύναμις  
 καὶ Θεότης. Εἰς τὸ ἔνατον αὐτῷς ὀντολογίταις.  
 Quia id, quod cognosci potest de Deo, manifestum est inter  
 ipsos. Deus enim illis manifestavit. Ipsius enim invisibilis  
 ex creatione mundi per res factas intellecta pervidentur,  
 nimis eterna ejus potentia ac divinitas, ut ipse  
 sint inexcusabiles. Atque respectu hujus principii co-  
 gnoscendi Theologia Naturalis distinguitur à Theolo-  
 gia Revelata, utpote cuius principium cognoscendi est  
 revelatio divina, non quidem generaliter accepta, pro-  
 ut notat quamvis divinam etiam per naturam à Deo  
 factam manifestationem; quia, si revelatio divina ita  
 acciperetur, Theologia quoque Naturalis dicenda foret  
 Revelata, cum ipsa eō ipso, quod ex lumine naturae &  
 contemplatione rerum creatarum de Deo rebusque divinis  
 differat, ex revelatione divina generaliter accepta con-  
 clusiones inferat & deducat. Disserte hanc in rem scri-  
 bit Celeberrimus Philosophus & Theologus Joh. Paul  
 Hebenstreitius in Prolegom. Philosoph. Primæ Thes. VII.  
 §. VIII. p.m. 52. sribit: Ceterum Theologia Naturalis per  
 hoc, quod est habitus differendi ex lumine naturae differt à  
 Theologia Revelata, quippe qua nimitur Revelatione divina  
 supernaturali, à qua etiam denominationem suam accipit.  
 Notanter loquor de Revelatione divina supernaturali. Ne-  
 que enim Theologia revelata appellatur à revelatione divi-  
 na generaliter accepta, seu qualibet rerum etiam per na-  
 turam facta divina manifestatio (sic enim naturalis quo-  
 que

que Theologia dicenda esset revelata ) sed revelatione divina specialiter sumta, b. e. peculiari manifestatione supernaturaliter à Deo facta , cuius vulgo numerantur sive species, sive modi (1) Alloquium, (2) Prophetia. (3) רוח הָקְרֵשׁ Spiritus Sanctus, (4) אֲוֹרֶם וְחַמִּינִי Luces & perfectiones, (5) בְּתַ קְוִ依ָן Filia vocis.

## Th. IV.

Duplici autem modo spectari potest Theologia Naturalis , nempe vel vi Etymi , vel ex usu loquendi.

## Th. V.

Theologia naturalis si spectatur vi etymi , notat quacumque Dei notitiam , nec non quacumque de Deo Orationem & dissertationem , lumine Naturæ nientem. Liquet hoc ex voce λόγῳ , ex qua vox Theologiae velut ex parte quadam componente conflata est. Ista enim , si extra compositionem spectatur , sermonem , Orationem & dissertationem , item rationem , cogitationem & cognitionem denotare traditur. Ita legitur apud Xenoph. Hell. ἔξατο λόγῳ , incepit sermonem. Sic occurrit λόγῳ Δημοσθέεῳ , oratio Demosthenis. Apud Platonem in Parmenide λόγῳ λαβεῖν dicitur. Unde non male scripsit Augustissimus Patrum Augustinus lib. 8. de Civitate Dei cap. I. Verbo Graeco significari intelligimus de divinitate rationem sive sermonem. Sic ergo si capitur Theologia Naturalis , certum est , eam quoque in eos cadere , qui sunt simpliciores , & literarum ruditate laborant. Possunt enim tales homines non solum ex contemplatione hujus universi Deum , variaque ejus attributa cognoscere , sed etiam de iis sermonem cädere.

## Th. VI.

## Th. VI.

Theologia autem Naturalis, si ex usu loquendi spe-  
ctatur, accipitur vel proprie, vel improprie.

## Th. VII.

Theologia Naturalis, si ex usu loquendi pro-  
prie consideratur, notat habitum de Deo rebusque di-  
vinis verè & scientificè differendi, lumine naturæ niten-  
tem, hominibusque pro statu hujus vitæ inexistenterem.  
Theologia Naturalis ex usu loquendi considerata dicitur  
(1) notare *habitum*. Nam vox λόγος, ex qua vox  
Theologiæ unà conflata est, in compositione dicitur de-  
notare *habitum*, qui occupatus est circa illam rem, quæ  
per vocem præcedentem significatur. Sic Aretologia  
ex usu loquendi notat *habitum*, qui occupatus est circa  
virtutes, quæ per vocem præcedentem innuuntur. Di-  
fertè B. Musæus cap. I. Introd. in Theolog. p. 1. scribit :  
*Ex usu loquendi autem λόγοι in compositione non signifi-  
cat quemcunque λόγον, sed λόγον habitualem.* (2) Dicitur  
notare *habitum differendi de Deo*. Licet enim Theo-  
logia Naturalis etiam sit *habitus à Deo*, tanquam à cau-  
sa efficiente originem suam trahens, & *habitum ad Deum*,  
tanquam ad finem suum tendens ; potius tamen habi-  
tum de Deo notare docent Philosophi pariter ac Theo-  
logi, quia vox voci λόγος in compositione præmissa in-  
primis objectum, circa quod occupatur, innuere censem-  
tur. Ita laudatus Hollazius Quæst. 2. p. 2. scribit : *Quam-  
vis ἔτυμον τῆς θεολογίας exponi possit per λόγον τῇ Θεῷ  
sermonem sive scientiam Dei, quia est à Deo, tanquam à  
causa efficiente vel per λόγον τοῦ Θεοῦ per sermonem  
ducentem ad Deum ut finem ultimum : Rectius tamen hic  
explicatur per scientiam de Deo velut objecto primario con-  
sider-*

siderationis Theologie. Quemadmodum enim Astrologia est Scientia de Astris, Cosmologia de mundo, Chronologia de tempore, Anthropologia de homine: ita Theologia est scientia de Deo. Confona leguntur in Theologia Positiva B. Guil. Bajeri C. I. de natura & constitutione Theol. §. 1. Nota c. p. 2. Quamvis enim Theologia quoad rem non solum sit λόγος Θεοῦ τοῦ Θεοῦ, verum etiam λόγος τοῦ Θεοῦ, ως ὁμοίας τοῦ Θεοῦ. Non tamen vis vocis omnia hac aequa atque illud significat. Sed nomen Θεος in compositione cum nomine λόγος objectum denotat, prout φύσις, αἴστη, αἰτεῖαι in compositione φυσιολογία, αἴστολογία, αἰτελογία. Confer Hebenstreitii Phil. Prim. Cap. Prælim Thes. §. III. In Theolog. Nat. Exercit. I. Th. I. §. V. p. 5. Et in System. Theolog. Proleg. Th. II. §. III. p. 3. Dicitur (3) Theologia Naturalis habitus verè de Deo differendi. Nam 1.) Theologia Naturalis si abstractivè & in se consideratur, est habitus mentis rectus. Jam verò habitus mentis recti de objecto, circa quod versantur & occupati sunt, dicuntur verum enunciare, sive id fiat per affirmationem, sive per negationem. 2.) Si Theologia Naturalis abstractivè & in se consideratur, Deo suos debet natales. Ait Deo, qui omnis veritatis fons, quia veritas ipsa est, omne falsum repugnat. 3.) Neque principia, quibus nititur, neque conclusiones, quæ legitime inde eliciuntur, quicquam fallitatis præ se ferunt. Dependent enim, scribit supra B. Laudatus Bajerus Cap. I. Proleg. §. XI. Not. b. velut constituentes Theogiam Ectypam, ab Autore Deo, cui falsum repugnat. Et quemadmodum principia prima sunt de his, que aliter se habere non possunt, adeoque necessario vera sunt; ita conclusiones, quarum cum principiis istis necessarius nexus est, similiter veras ac certas esse constat.

Notanter autem dico: Theologia Naturalis, si abstractivè & in se consideratur, est habitus verè de Deo rebusque divinis differendi. Nam si Theologia Naturalis spectatur concretivè, prout his vel illis hominibus inexsistit, inficias ire hand possumus, eam hinc inde falsum verò admixtum habere. Deum ex numeris constare, Pythagoras credidisse dicitur; Epicurea Secta putasse perhibetur, Deum esse immortale beatumque animal, figura humana præditum, non corpus, sed quasi corpus, nec sanguinem, sed quasi sanguinem habere, non esse mundi causam, nec in eo regimen ac providentiam exercere sive generalem sive specialem. Stoicorum secta censuisse perhibetur, Deum esse sub materiae nomine ignem artificiosum. Vid. Celeb. Joh. Andr. Schmid. in Theolog. Nat. de Apparatu Nat. §. II. Not. b. 3. 6. 8. & Johan. Paul Hebenstr. in Phil. pr. Th. V. Proleg. §. V. 4.) Theologia Naturalis dicitur habitus *scientificè* de Deo rebusque divinis differendi. Non enim quilibet habitus de Deo rebusque divinis vere differendi ex usu loquendi Theologiae Naturalis nomine venire solet; sed habitus Deum cognoscendi, resque divinas ex principiis suis deducendi, probandi, confirmandi, & contra Adversarios defendendi, ita ut officium Theologiae Naturalis præcipue consistat in explicando, probando ac defendendo, vel, ut alias uno verbo effertur, docendo. Alias enim Theologia Naturalis quoque caderet in homines simpliciores & rudiores, illique ob mutuam abstracti & Concreti habitudinem appellandi forent Theologi Naturales; Ast usus loquendi non admittit, ut tales homines Theologi, iisque naturales nuncupentur. Vid. Schmid. in Apparatu Theol. N. §. I. Nota 6. & Hebenstreitius l. c. §. 4.

5.) Theo-

5.) Theologia Naturalis denotare dicitur *habitum lumine naturae nitentem*. Lumen enim Naturae est Theologiae Naturalis principium cognoscendi , unde ejus conclusiones cognoscuntur, probantur & deducuntur ; distinguuntque Theologiam Naturalem à Theologia revelata, utpote cuius principium cognoscendi est revelatio divina specialiter accepta, prout supra dictum fuit. 6.) Diximus Theologiam Naturalem secundum usum loquendi esse habitum hominibus pro statu hujus vitæ inexistentem. Etiamsi enim sancti cœlites Deum longe perfectius cognoscant, quam homines adhuc in hac mortalitate constitui eum cognoscunt ; Illa tamen sanctorum Cœlitum notitia nequam nomine Theologiae Naturalis ex usu loquendi veire solet , quia usus loquendi non fert , ut illos Theologos, eosque Naturales appellemus.

## Th. VIII.

Sin vero Theologia Naturalis ex usu loquendi accipitur *impropriè*, tunc notat doctrinam de Deo rebusque divinis lumine Naturae nitentem, seu Systema Theologiae naturalis Lumini naturæ , velut suo principio cognoscendi innixum , quod docetur & discitur , estque Theologiae Naturalis pro habitu acceptæ effectus , si spectatur ratione Docentium ; *Causa* verò , si consideratur ratione Discentium.

## Th. IX.

Theologia Naturalis, si accipitur ex usu loquendi & propriè, scientia salutatur. Liquet hoc ex natura & indole scientiæ. Scientia enim formaliter & ut sic est *εγένετο απόλευτη* , hoc est , habitus demonstrativus , qui demonstrationibus utitur , & per demonstrationes ac-

quiritur. Jam verò Theologia Naturalis utique habitus demonstrativus nuncupari potest, cum non tantum dōmonstrationibus utatur, sed etiam per demonstratio-nes acquiratur. Quod demonstrationibus utatur, inde manifestum est, quia in ea deprehenditur, (1) Demon-stratio ostensiva seu à priori, (2) Demonstratio τε ὅπ seu à posteriori, (3) Demonstratio quæ ad impossibile ducit & ad absurdum. Et demonstratio quidem ostensiva seu à priori in Theologia Naturali deprehenditur, quoties ex Dei ratione essentiali conceptuque primo de-monstrat Dei perfectiones, item, quoties ex una Dei per-fectione, quæ nostro concipiendi modo prior est, infert aliam, quæ nostro concipiendi modo posterior est. e. g. cum ex infinitate infert immensitatem, ex immensitate omnipræsentiam &c. Ostensiva enim demonstratio dicitur, *qua affectio aliqua demonstratur de suo subjecto per rationem, qua questioni propter quid satisfacit.* Atqui si Dei ratio essentialis conceptusque primus, adhibetur ad demonstrandas de Deo perfectiones divinas; & si una Dei perfectio, quæ nostro concipiendi modo prior est, adhibetur ad demonstrandam aliam de Deo per-fectiōnem, quæ nostro concipiendi modo posterior est, utique satisfit quæstioni propter quid. Demonstratio τε ὅτι, seu à priori in Theologia Naturali datur, quo-ties ex perfectionibus in creaturis deprehensis colligit, eas quoque divino Numini inesse, si non formaliter, tamen eminenter, quia nihil in effectu esse solet, quod non in causa præexistat. E. g. quando ex eo, quod homo voluntate pollet, colligit, Deum quoque voluntatem ha-bere. Demonstratio denique, quæ dicit ad impossibile & ad absurdum, in Theologia Naturali occurrit, quoties dicit

ducit ad majus absurdum , quam est illud, quod ab Adversario fovetur, ita , ut nisi velit admirtere majus absurdum , teneatur deserere minus , e. g. si essentia Dei non est infinita , sed finita , sequeretur aliquid majus & excellentius divinā essentiā excogitari posse , nempe infinitum , quia quovis finito majus & excellentius est infinitum . Ast absurdum est aliquid majus & excellentius Deo excogitari posse , quia Deus omnium conceptu est natura maxima & excellentissima .

## Th. X.

Cum autem scientia , in quantum integræ & completæ disciplinæ respondet , sit vel *Theoretica* vel *Practica* vel *Effectiva* ; Theologia Naturalis non est scientia theorerica , neque effectiva , sed practica . Non est scientia theoretica , quia scientia theoretica ultimò in nuda contemplatione sui objecti subsistit ; ast Theologia Naturalis nuda contemplatione rerum sibi subjectarum non est contenta , sed ulterius tendit ; Neque est scientia Effectiva , quia scientia effectiva tendit ad effectiōnem , ostendendo , qua ratione sit aliquid efficiendum ; ast Theologia Naturalis ad effectiōnem non procedit . Est verò Theologia Naturalis scientia practica , quia non ultimo subsistit in nuda contemplatione rerum sibi subjectarum , sed ulterius ad praxin progreditur , ex Dei essentiā & perfectionibus essentialibus cultum Deo debitum ductu luminis naturae præscribens . Nam inquit Schmidius in Theol . Nat . p . 20 . Cum Deus duobus modis ex lumine nature considerari poscit ; uno absolutè , quatenus est ens à materia sensibili realiter abstractum ; altero respectivè , quatenus est hominis finis simpliciter ultimus & summa felicitas , necessum erit , si plenam de Deo tractatio-

*nem Theologus naturalis suscipere voluerit, eam ad instar practice scientie docere.*

## Th. XI.

Quando Theologiam Naturalem dixi scientiam practicam; Theologiam Naturalem totaliter accepi, prout omnem naturalem de Deo scientiam includit, non solum Deum ratione Existentiæ, essentiæ & attributorum divinorum contemplans, sed etiam considerans, quomodo colendus sit. Quodsi enim Theologia Naturalis accipiatur partialiter, prout præcise in contemplatione Dei ratione existentiæ, essentiæ & attributorum versatur, non autem ad praxin cultumque Deo debitum progreditur; tunc scientiis theoreticis meritò annumeranda venit.

## XII.

Theologia Naturalis, in quantum est scientia, habet aliquod objectum, circa quod versatur; omnis enim scientia est rei scibilis scientia, & requirit aliquam rem, in qua cognoscenda & explicanda occupata est. Atqui talem rem in Philosophorum scholis nomine objecti aliquius scientiæ venire, quis ignorat?

## Th. XIII.

Objectum verò istud, quod Theologia Naturalis velut scientia aliqua habet, est vel materiale, vel formale. Nam omnis scientia, sive sit Theoretica, sive effectiva, sive practica, tale objectum agnoscit. Omnis enim scientia est de re aliqua, quam contemplatur, & de qua conclusiones deducit, proceditque ex aliquo prius cognito. Atqui res, quam disciplina contemplatur, & de qua conclusiones deducit, dicitur scientiæ objectum materiale; Illud verò, ex quo prius cognito sciens

scientia conclusiones suas infert atque deducit, dicitur scientiæ objectum formale. Ita B. Joh. Musæus: *Omnis scientia est de re aliqua, quam considerat, & de qua conclusiones suas ad explicandam ejus naturam infert; & procedit ex aliqua antecedente cognitione, aut ex principiis quibusdam prioribus aut notioribus, ex quibus conclusiones suas infert, ut bene docet Aristoteles.* II. Post. Anal. C. I. Res ipsa, de qua scientia est, & de qua conclusiones suas infert, dicitur scientiæ objectum materiale. Id vero, ex quo prius cognito eadem conclusiones suas deducit, sive quod eodem reddit, principia priora & notiora, ex quibus conclusiones ejus dependent, ejusdem objectum formale appellatur. Vid. Musæi Introd. in Theol. Cap. 2. §. 14 p. 47. Ast nemo, nisi invita veritate, diffitebitur, Theologiam naturalem esse de rebus, quas considerat, deque quibus conclusiones ex suis principiis infert, & procedere ex aliquo, quod prius cognitum fuit.

## Th. XIV.

Objectum Materiale Theologiæ Naturalis est omne illud, quod sub Theologiæ Naturaliſ considerationem cadit. Objectum enim materiale alicujus scientiæ vocatur omne illud, quod scientia considerat & contemplatur.

## Th. XV.

Objectum autem formale Theologiæ Naturalis pro diversitate respectus est varium. Scilicet si Objectum formale spectatur absolute & simpliciter, & dicitur illud, quod primò omnium in disciplina cognoscitur, & quod primò cognitum est ratio cognoscendi cetera omnia, quæ disciplina considerat; Objectum Theologiæ Naturalis formale est Deus ductu luminis naturæ cognitus.

gnitus. Ita enim spectatus non solum primò omnium in Theologia Natur. cognoscitur, sed etiam primò cognitus est ratio cognoscendi reliqua, quæ sub Theologiae Naturalis considerationem cadunt, nimirum cultum ipsi convenientem, Theologiae Naturalis finem ultimum formalem, nec non subjectum operationis. Si vero objectum formale spectatur *secundum quid*, notat illud, quod prius quidem, quam alterum cognoscitur, & quod prius cognitum est ratio illud alterum cognoscendi, ipsum tamen cognoscitur ex alia prius cognita ratione cognoscendi; Theologiae Naturalis objectum formale constituere potest omne officium hominis ante demonstratum, in quantum est ratio cognoscendi aliam in ordine ad Deum exercendam operationem. Eiusmodi enim officium hominis prius quidem cognoscitur, quam talis operatio in ordine ad Deum exercenda, ipsum tamen ex alia prius cognita ratione cognoscendi cognoscitur.

## Th. XVI.

Illud vero, quod haec tenus diximus Theologiae Naturalis objectum formale, alio respectu etiam objectum ejus materiale dici posse, non negamus. Eo enim respectu, quo in Theologia Naturali consideratur, recte dicitur ejus objectum materiale; Cum objectum materiale alicujus disciplinæ audiat omne illud, quod disciplina considerat; Hoc vero respectu, quo prius in Theologia Naturali cognitum est ratio cognoscendi cætera, recte appellatur ejus objectum formale; cum objectum formale alicujus scientiæ nuncupetur illud, quod prius cognoscitur, quam alterum, & quod prius cognitum est ratio cognoscendi cætera, quæ in disciplina occurunt,

&amp;

& traduntur. Accuratè de hoc philosophatur Philosophus & Theologus Celeberrimus Joh. Paul Hebenstreitius in Philosoph. Prima Sect. III. Cap. VII. Th. XVI. §. I.  
*In Theologia Naturali totaliter sumta Deus habet rationem objecti cum materialis, tum formalis, sed alio atque alio respectu. In quantum ejus existentia & attributa ex effectibus demonstrantur, in tantum habet rationem objecti materialis: in quantum vero existentia & attributa demonstrata sunt ratio cognoscendi & erudiendi rectam circa Deum operationem, in tantum sustinent rationem objecti formalis.*

## Th. XVII.

Profit autem Theologia Naturalis, in quantum est scientia, habet tum objectum aliquod materiale, tum objectum aliquod formale: Ita in quantum est scientia practica, sua tractationi depositit finem, subjectum operationis, & media, quæ consequendi finis causa in ea præscribuntur. Omnis enim scientia practica eō ipso, quod est practica, seu certi alicujus subjecti potentiam operandi per conclusiones, quas ex suis principiis deducit, obtinendi finis gratia ad praxim dirigit, aliquem finem, aliquod subjectum operationis & obtinendi istius finis principia ac media sua tractationi depositit. Nam subjectum illud, quod operationi, quam scientia practica obtinendi finis causa præscribit, substernitur, dicitur subjectum operationis; operatio autem, quæ præscribitur, ad media & principia consequendi finis pertinet.

## Th. XIX.

Proinde tres Theologiae Naturalis partes constitutae sunt, quarum prima agere debet de ejus fine, ad quem tendit, secunda de ejus subjecto operationis, quod

C

finis

finis istius particeps fieri debet, & denique tertia de principiis ac mediis, quæ finis consequendi causa in Theologia Naturali præscribuntur.

Th. XIX.

Finis Theologiae Naturalis est vel objectivus vel formalis.

Th. XX.

Finis Theologiae Naturalis objectivus est Deus. Patet id 1.) ex natura finis objectivi. Finis enim objectivus dicitur res, cuius obtinenda & consequenda gratia aliquid est aut fit. Jam verò Deus est res, cuius obtinendæ causa aliquid ab homine viatore fieri vult Theologia Naturalis. 2.) Manifestum est exinde, quia Theologia Naturalis agit de homine, prout absolutè beatus est. Ast homo Viator absolutè beatus non redditur nisi in Deo.

Th. XXI.

Est verò Deus Theologiae Naturalis finis objectivus, prout est summum hominis bonum. Homo enim absolutè beatus redditur, si per certam operationem potiatur & fruatur summo bono. Quodsi ergo certum est, hominem non fieri absolute beatum nisi in Deo; prona sequitur consequentia, Deum, quando rationem finis objectivi Theologiae Naturalis obtinere debet, summi quoque hominis boni rationem obtinere.

Th. XXII.

Esse autem Deum summum hominis bonum ex requisitis summi hominis boni apparet. Ad summum enim hominis bonum requiritur 1.) ut sit res, qua homo per certam aliquam operationem potiri potest ac frui, 2.) Ut sit hominis finis, 3.) Ut sit bonum homini proprium,

prium, 4.) ut sit bonum perfectum, quo obtento appetitus hominis ita satiatur, ut nullius alterius boni desiderio teneatur; ac proinde requiritur, ut sit aeternum, *aeternus*, & universale, quod omnem bonitatem ac perfectionem summè in se contineat & complectatur. Jam vero 1.) Deus est res, qua homo beatus per certam operationem, nimirum per cognitionem ejus intuitivam & amorem ejus intensissimum potiri ac frui potest. 2.) Deus est hominis finis. Quia enim homo a Deo in esse suo pendet, hinc propter esse suum Deum appetit, & ad eum, velut ad finem suum tendit. 3.) Deus est bonum homini proprium. Est enim bonum, quo homo per certam operationem potitur atque fruitur. Ait operatio ista, per quam homo Deo potitur atque fruitur, saltem a creatura rationali proficiendi potest. 4.) Deus quoque est bonum perfectum, quia, si ab homine obtinetur, appetitum hominis ita satiat & explet, ut nullius alterius boni desiderio flagret. Est bonum aeternum, quod aeternum durat, & a cuius possessione nil hominem dimovere potest. Est bonum *aeternus*, quia Deus solus hominis vitam potest reddere optabilem. Est deinde etiam bonum universale, quia omnem bonitatem & perfectionem in eminentissimo gradu continet.

## Th. XXIII.

Et quidem solus Deus est hominis bonum summum, quia in solum Deum hactenus recensita requisita cadunt.

## Th. XXIV.

Atque ideo Deus beatitudo hominis objectiva tam a Philosophis, quam a Theologis appellari solet. *Beatis-*  
*tudo* quidem, quia obtentus hominem revera beatum

præstat, *Objetiva*, autem, quia operationis, per quam eum homo obtinet, eoque fruitur, objectum est.

## Th. XXV.

Finis autem Theologiae Naturalis formalis est perfecta adeptio & fruitio Dei. Liquet hoc ex naturâ finis formalis. Finis formalis enim dicitur operatio, per quam quis rem illam, quæ vocatur finis objectivus, obtinet eaque fruitur. Jam verò adeptio & fruitio Dei est talis operatio, per quam homo rem illam, quæ vocatur Theologiae Naturalis finis objectivus, nimirum Deum obtinet, eoque fruitur.

## Th. XXVI.

Ista adeptio atque fruitio Dei perfecta, quam Theologia Naturalis finem formalem constituere diximus, consistit in Dei cognitione intuitiva & amore Dei intuitivè cogniti intensissimo. Nam per cognitionem Dei intuitivam anima Deum apprehendit, cumque eo ita unitur, ut ipsi intimè præsens reddatur. Per amorem autem Dei intuitivè cogniti intensissimum Deo fruiatur, quoniam juxta Augustinum Libr. I. de Doctr. Christ. cap. 3. frui bono sit, per amorem ipsi inhærente propter se ipsum. Hinc B. Bajerus in Theol. Pos. Cap. I. Proleg. §. 18. Nota a. scribit: *Dicimus hac ratione (cognitione) potiri Deo, tanquam summo bono: quia Deus per actum intellectus apprehenditur, nobisque intimè præsens redditur atque unitur.* Et in Nota. b. scribit: *Quo (scilicet amore Dei intuitivè cogniti intensissimo) Deo, tanquam bono nostro, clarè cognito seu apprebenso inberemus propter ipsum.* Neque enim fieri potest, quin voluntas in summum Dei amorem pertrabatur, quando intellectus eum tanquam summum bonum nostrum perfectè cognoscit.

## Th.

• ( 21 ) •

Th. XXVII.

Sicut autem Deus dicitur beatitudo hominis objectiva, ita adeptio & fruitio Dei perfecta dicitur hominis beatitudo formalis. Dicitur *beatitudo* hominis, quia una cum beatitudine objectiva hominem beatum reddit; *Formalis* autem nuncupatur, quia est ratio formalis, per quam homo Deo, velut beatitudine objectiva potitur atque fruatur.

Th. XXVIII.

Atque in beatitudine hac objectiva & formalis consistit completa hominis beatitudo. Id quod exinde patet, quia completa beatitudo hominem actu beatum reddit. Ast homo actu minimè beatus redditur, nisi per certam operationem illam rem, in qua hominis summum bonum situm est, obtineat, eaque fruatur.

Th. XXIX.

Et quemadmodum beatitudo objectiva & formalis, si junctim sumuntur, constituant hominis beatitudinem completam, ita etiam si junctim accipiuntur, constituant Theologiae Naturalis finem cuius completum. Hinc D. Hebenstreitius in Philosoph. Prim. Sect. III. c. 6. Th. VIII. §. 3. scribit: *Beatitudo hominis completa finem hominis partiale utrumque, objectivum scilicet (Deum) & formalem (nempe operationem quandam animae rationalis circa Deum: qua ipso perfecte potimus ac fruimur) in suo conceptu includit.* Conf Mus. Introd. Cap. II. §. VII. pag. 34.

Th. XXX.

Speciatio Theologiae Naturalis sine, & quidem tam objectivo, quam formalis; expendendum quoque venit ejus subjectum operationis.

C 3

Th.

( 22 )

Th. XXXI.

Subjectum operationis Theologiæ Naturalis est homo viator, qui ad beatitudinem æternam per media, quæ præscribit, deducendus est. Manifestum hoc est ex requisitis subjecti operationis alicujus scientiæ. Ad subjectum operationis enim in aliqua scientia 1.) requiritur, ut destituatur ista perfectione, quæ scientiæ alicui pro fine est, 2.) ut perfectionis istius, quæ scientiæ pro fine est, per certa principia ac media, quæ ejus obtinendæ causa præscribit, possit particeps reddi. Jam verò homo viator 1.) nondum potitus est beatitudine, quæ Theologiæ Naturali pro fine est, sed ad eam demum deducendus est 2.) Poterat ejus in statu primævo per principia ac media, quæ præscribebat, particeps fieri. Notanter dico: *In statu primævo*. Nam post lapsum per principia ac media, quæ Theologia Naturalis consequendi finis causa præscribit, homo beatitudinis æternae particeps fieri nequit; ceu in sequentibus demonstrabitur.

Th. XXXII.

Subjectum operationis Theologiæ Naturalis coincidit cum fine cui Theologia Naturalis. Nam subjectum operationis in scientiis practicis, quarum numero Theologia Naturalis totaliter accepta accedit, est subjectum, in quod scientiæ practicæ finis cuius introducendus est, & cui scientia practica consequendi finis cuius causa certas operationes præscribit. Jam verò hujus generis subjectum est nihil aliud, quam scientiæ finis cui.

Th. XXXIII.

Subjectum operationis seu finis cui, ceu alias, ita & hic cum fine cuius Theologiae Naturalis æctè cohæret, & unà cum eō unum adæquatum finem constituit. Nam Theo-

Theologiae Naturalis finis adæquatus est homo viator, quatenus ad beatitudinem æternam perducendus est. Ast hic finis importat non solum finem cui, qui est homo viator, sed etiam finem cuius, qui est beatitudo æterna. Notatu digna sunt verba B. Joh. Musæi in Indrod. Cap. II. §. 10. p. 41. *Subjectum operationis autem ut in scientiis practicis aliis, ita & hic in Theologia Naturali cum fine cuius arcte cohæret, & cum eo unum adæquatum finem constituit. Quapropter communiter finis vocatur.*

## Th. XXXIV.

Homo Viator, qui Theologiae Naturalis subjectum operationis seu finem cui constituit, opponitur homini comprehensori, qui beatitudinem velut metam sibi præfixam, finito hujus vita curfu, jam jam obtinuit.

## Th. XXXV.

Beatitudinis formalis causa efficiens, est Deus; Causa impulsiva verò est ejus bonitas. Deum esse beatitudinis formalis causam efficientem exinde liquet, quia beatitudo formalis consistit in cognitione Dei intuitiva & in amore Dei intuitivè cogniti intensissimo. Ast nemo potest intellectum finitum ad cognitionem objecti infiniti intuitivam elevare, nec quisquam valet voluntatem ita perficere, ut in ea actus intensissimi amoris oriatur, nisi habeat potentiam infinitam. Tali autem potentia solum Deum gaudere, quotusquisque est, qui nescit? Bonitatem verò Dei esse causam impulsivam. 1.) Exinde patet, quia homini Viatori beatitudo ista ex justitia bonitati contradistincta non debetur. 2.) Quia Deus ex liberissima sua voluntate beatitudinem homini Viatori Confert. Ast quidquid Deus ex sua voluntate libera confert, id sua motus bonitate confert.

## Th. XXXVI.

Th. XXXVI.

Media, quæ Theologia Naturalis consequendæ beatitudinis æternæ causa præscribit, absolvuntur a cibis intellectus & voluntatis circa Deum occupatis, nempe *vera* Dei agnitione & cultu ipsi debito & convenientie.

Th. XXXVII.

Sed quando media, qua imperandæ beatitudinis causa in Theologia Naturali præscribuntur, constituimus in cibis intellectus & voluntatis circa Deum occupatis, nimis in vera Dei agnitione & cultu ipsi debito & convenientie, vocem *medii* non accipimus in significatu strictiori, quo medium illud esse censetur, quod ita est propter finem, ut sit consequendi finis causa propriæ dictæ; Sed in significatione latiori, qua medium dicitur omne illud, quod quocunque modo propter finem est, etiam si finis consequendi causa non sit, sed vel ex parte subjecti tantum est ut conditio requisita, vel sese ut causa sine qua non habet. Si enim dicti actus intellectus & voluntatis circa Deum occupati essent consequendæ æternæ beatitudinis media in strictiori significatu accepta, sane forent beatitudinis æternæ causæ propriæ dictæ; quia medium in strictiori significatu acceptum dicitur illud, quod ita est propter finem, ut etiam sit consequendi finis causa proprie dictæ. Quod si autem dicti actus intellectus & voluntatis essent causæ proprie dictæ, certè non aliter eam causarent, quam sub ratione meriti. Ast actus isti meritorii non sunt, quia ad hoc, ut aliquid sit meritorium, requiritur, ut sit indebitum; homo vero actus nominatos ex debito præstat, quia in esse & operari à Deo dependet. Proinde actus isti intellectus & voluntatis potius sunt media in latiori significatu accepta, cum sese habeant ut conditiones ad imperandam beatitudinem

ex

( 25 )

ex parte subjecti requisitæ. Conf. B. D. Bechmanni Theol.  
Pol. in Proleg. §. XV. p. 7.

Th. XXXVIII.

Actus isti intellectus & voluntatis, quibus Deus agnoscitur & colitur, nomine *religionis* venire solent, quæ, si in lationi significatu sumitur, tum rationem Deum cognoscendi, tum rationem Deum colendi importat; sin verò in strietiori accipitur significatione, præcisè notat rationem Deum rectè colendi, ratione Deum agnoscendi præsuppositam, tanquam cultus divini principio.

Th. XXXIX.

Atque isti actus intellectus & voluntatis, quibus Deus recte agnoscitur & colitur, partim directè atque immediate circa Deum versantur, partim directè atque immediate hominem ad proximum, partim directè atque immediate ad se ipsum ordinant. Circa Deum directè atque immediate versantur *ex parte intellectus* actus medirandi & cognoscendi Dei essentiam, attributa, opera, beneficia &c. *ex parte voluntatis* actus amoris, spei, fiduciae, timoris, patientiae &c. quibus respondent actus externi, quibus mortales suum amorem, spem, fiduciam, timorem erga Deum &c. testantur. E. g. Preces, invocatio Dei, Gratiarum actio &c. Ad seipsum directè & immediate hominem ordinant actus moderandi affectus, excolendi animum honestis artibus atque disciplinis, tuendi vitam, famam &c. Ad Proximum directè & immediate ordinant hominem actus iustitiae, quibus suum cuique tribuitur, actus liberalitatis &c. Confer. Laudati Joh. Gvil. Bajeri. Compendium Theol Posit Cap. I. Prol. §. 7. p. 16. 17. 18. 19.

Th. XXX.

Etiam si autem ex dictis actibus quidam sint, qui dire-

D

cte

Atē & immediatē hominem ordinant ad proximum; quidam etiam dentur, qui hominem proximē & immediatē dirigunt ad seipsum; *ultimo* tamen omnes ad Deum referuntur. Manet enim Deus centrum, ad quod actus isti tanquam linea rectæ tendere debent, quacunque etiam ratione id fiat. Habent, ait B. Bajerus, c. etiam ratinem cultus divini, quatenus ad Deum, tanquam ad finem ultimō referuntur, & in ejus obsequium laudem & gloriam sunt.

Th. XLI.

Atque hæc, nimirum completa hominis beatitudo, homo viator, in quantum est beatus, Deus, qui confert beatitudinem, bonitas divina, qua motus eam confert, nec non a cœtus intellectus & voluntatis circa Deum occupati constituunt Theologiæ Naturalis objectum materiale adæquatum, h. e. illud, quod Theologiæ Naturali ita æquale est, ut sub suo ambitu contineat omnia, quæ sub ejus considerationem cadunt. Nam in disciplinis practicis, qualem & Theologiam Naturalem esse supra diximus, Objectum materiale adæquatum absolvit putatur fine cuius ultimo, subjecto operationis & finis consequendi causis atque mediis, si junditum sumantur. Jam vero completam hominis beatitudinem esse Theologiæ Naturalis finem cuius ultimum, hominem viatorem, in quantum beatus est, esse ejus subjectum operationis, Deum ejusque bonitatem esse causas beatitudinis, & actus circa Deum occupatos esse consequendæ beatitudinis media, ex haec tenus dictis manifestum est.

XLII.

Sed si quodlibet horum seorsim sumitur, nascitur Theologiæ Naturalis objectum materiale inadæquatum. Nam objectum materiale inadæquatum alicujus disciplinæ dici-

dicitur, quod disciplinæ ita inæquale est, ut sub suo ambitu non comprehendat omnia, quæ sub ejus considerationem cadunt. Atqui nullum horum seorsim sumtum Theolog. Naturali ita æquale est, ut sub suo ambitu comprehendat omnia, quæ sub ejus considerationem cadunt, sed pauciora complectitur.

## Th. XLIII.

Affectiones Theologiae Naturalis sunt tres, nempe 1.) ejus veritas, 2.) ejus consensio cum Theologia Revelata & 3.) insufficiencia ad beatitudinem consequendam in statu corruptionis. Veritas Theologiae Naturalis ex iis, quæ supra Th. VII. pag 9. diximus, satis colligi potest. Consensio Theologiae Naturalis cum Theologia Revelata, exinde colligitur, quia Theologia Naturalis Theologia Revelata nul- libi repugnat. Verum enim vero consonat, nec nisi unica veritas est. Nec obstat, quod multa in Theologia Revelata tradantur, quæ Theologia Naturalis neque ex lumine naturæ novit, neque adsequitur; e. g. in una Dei essentia esse tres distinctas personas, nimirum Patrem, Filium & Spiritum Sanctum, Virginem Mariæ sine concursu maris concepisse & peperisse filium. &c. Nam licet Theologia Naturalis hæc & alia, quæ Theologia Revelata tradit, nec adsequatur, non tamen inde colligere licet, ea esse falsa; quia lumen naturæ non est adæquata ratio Deum & res di- vinæ cognoscendi; neque Theologia Naturalis ullum eorum, quæ non valet adsequi, negat, sed judicium suum de iis velut de rebus extra sphæram suam positis suspendit. Conf.B.Bajerus §.IX.Prol. & D.Hebenstreitius in Theolog. Naturali Exerc. I. p. 26. 27. Unde minimè accedimus Dn. Hoffmanno, qui huic sententiæ quondam cornua obvertit, cum duplē fecit veritatem, unam Philosophicam, alte- ram

ram Theologicam, & quod in Philosophia verum est, in Theologia Reveleta falso, & quod in Theologia Reveleta verum est, in Philosophia falso esse contendit. Confer. B. Albertus Grauerus in Præfat. Tr. de una & simplici veritate. Quod tandem est ad insufficientiam Theologiae Naturalis ad beatitudinem æternam consequendam in statu corrūptionis, illa vel exinde constat, quia media & causas salutis ignorat. Nec est, quod contraria sententia Patroni pœnitentiam, prout dolorem de admisis peccatis innuit, magnopere crepant; Nam 1.) se non extendit ad omnia peccata, quandoquidem multa ab ignorantibus committuntur, & peccatum originis ratio distinetè non cognoscit. 2.) Hujus generis pœnitentia, etiamsi quandam peccatorum retractationem involvit, non tamen peccata, quatenus offendit Dei importent, hominemque iræ & pœnae divinæ reum constituunt, abolere valet. Confer. Musæi Disp. de Insuffi. Theol. Nat. ad salut. æter. pag. 22. & seqq. B. Bajeri Cap. I. Proleg. §. VIII. Bechm. in Theol. Pos. in Proleg. §. XXIV. p. 9. & in Not. pag. 22.

## Th. XLIV.

Atque ex hactenus dictis hæc Theologiae Naturalis definitio enascitur: Theologia Naturalis est scientia practica, quæ homini Viatori Dei cognitionem cultumque ei debitum ex principiis naturæ ostendit, præscribit, eumque explicat, confirmat, & defendit, in Deo obtinendæ beatitudinis æternæ causa.

ULB Halle  
003 620 00X

3



5b,

VII

17



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



Farbkarte #13

8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1  
Centimetres  
Inches

26.  
28.

DISSE<sup>T</sup>RAT<sup>O</sup> ACADEMICA  
DE  
**INDOLE ET NATVRA  
THEOLOGIÆ NATVRALIS**

*QVAM  
DIVINA AVSPICANTE GRATIA  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIP<sup>E</sup> AC DOMINO  
DOMINO  
GVILIELMO HEINRICO  
DVCE SAXONIAE, IVLIACI, CLIVIAE, MONTIVM,  
ANGARIAE, WESTPHALIAE, ET  
RELIQVA,*

*INDVLTV AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM  
ORDINIS,  
PRÆSIDE  
M. CHRISTIANO STOCKIO,  
AMPLISSIMI FAC. PHIL. ADJVNCTO.  
D. MART. A. O. R. 1711.  
PVBLICE ERVDITORVM DIS<sup>Q</sup>VISITIONI  
SVB<sup>Q</sup>JICIT  
AVTOR ET R<sup>E</sup>S<sup>P</sup>ONDENS  
JOHAN. JVSTVS STEPHANI,  
MARERVG. HASS. SS. TH. CVLT.  
IENÆ, LITTERIS EHRICHIANIS.*